


Atque modus hic extractionis præclarus est: quippe cum in eo omnia residua operationum distinctè, & sine confusione appareant. adeo ut si in Quotientem accepta forte esset figura nimis magna, aut parva, (nimis quidè magna foret, si numeri producti à puncto proposito subtrahi nō possent, nimis vero parva, si facta subtractione, residuū maius esset duplo radicis inuētæ) facili negotio error possit corrigi, quemadmodum supra in Diuisione per Dandam dictum est.

Examen extractionis radicis quadratæ triplex est, quemadmodū & diuisionis integrorum. Primum .n. fit per abiectiōem 9, alterū per abiectiōem 7. & tertium per multiplicationem, ut in diuisione integrorum dictū est. Sed radix inuenta accipienda est hic loco diuisoris: quia si numerus propositus diuidatur per radicem inuentam, fiet Quotiens eadem radix: Et si quid superfuerit in extractione radicis, idem supererit in diuisione, dummodo in Quotiente sumantur eadem figuræ radicis inuentæ, licet in vltima diuisione partiali maior aliquando figura sumi possit, quando nimirum residuum extractionis radicem exesse-

Examen
extractio
nis radi-
cis qua-
dratæ
triplex,

rit. Itaque prius exemplum ita examinabitur per 9. Reiectis 9. ex radice 4602. remanent 3. quæ in vtroque latere crucis scribo, propterea quod radix est & diuisor, & Quotiens, ut diximus. Multipl-



catis iam inter se duabus hisce figuris 3. & 3. sunt 9. reiectisque 9. remanet 0. in superio-

V 4

ri par-